



DE UNICORNU. 195

Nic. Fontanus in Epist. ad Bartholdum Nibesium; five eo loco quo extra eminebat & conspicuum se præbebat, quod verò propius existimarem ego, quam acutam crucem apud Auctores quosdam inveniam fuisse in erecto stipite Christi dorso applicitam) partim quòd sine pari in medio stipite, velut in media animalis fronte existet; ita enim ultima Tertulliani verba, obscura satis, interpretor, in quibus emendandis sudarunt Viri acutissimi, *Beatus Rhennanus*, qui exponit: *Unicornis secundum media, i. e. mediam stipitis partem palus*; & nuperrimè *Georgius Calixtus* Germanorum doctissimus in Notis ad Lipsium de Cruce, legere mavult: *medio stipitis*. Ego eadem manente sententiâ, *medius stipitis*, scriptum fuisse puto, solito Librariorum errore, qui elementum primum *a* pro *us* substituerunt ob formæ affinitatem, *us* enim compendii studiosi modò ternarii numeri nota 3. in fine scribebant, modò semicirculo \circ puro, modò in superiori cornu oculato